

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis  
Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Reuerendo uiro & uirtute praestanti, domino NN. pastori ecclesiae Dei in  
inlyta urbe Brexi, fratri suo charissimo, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](#)

rorum, qui omnium artium cognitionem comple-  
xi sunt, uiuere. Cumq; nondum certam sedem ha-  
beam, aliquāto pōst de mea uoluntate ad illustris-  
simum Electorem Marchionem & ad uos copio-  
sius scribam. Nanc accessitus sum Vitebergam, ut  
de tabulis nostri naufragij deliberemus, & ratio-  
nes quādam referendae sunt. Adsum etiā editionē  
quarundam lucubrationum, quas multo antē pro-  
pter utilitatem adolescentie institui. His absolutis,  
fortassis peregrinatio in alijs loca suscipienda erit,  
quam ut Deus gubernet oro, ne studia doctrinæ ex-  
tingui sinat. Sed seruet tum alias Academias, in quibz  
bus recte inuocatur: tum uero uestram, que in his  
regionibus nunc unica domicilium est cœlestis do-  
ctrinæ & integre philosophie. Bene ualete. Calens  
dis Augusṭi, Anno 1547.

Reuerendo uiro & uirtute præstanti, do-  
mino NN. pastori Ecclesiae Dei in incly-  
ta urbe Bremi, fratri suo chatissi-  
mo, S. D.

Reuerende uir & charissime frater, & debo  
& habeo gratias Senatui uestro, pro benevolentia  
erga me: tum uero etiam pro uino misso: teq; oro,  
ut meis uerbis reuerenter Senatui gratias agas. Mit  
to tibi duo exemplaria disputationis, eti nuper u-  
num ad te misi, quorum alterum dabis Secretario

O 2 Senatus

Senatus uestri. Nunc adeſt illuſtriſſimus princeps  
archiepiſcopus Meideburgensis. Aulicinarrat, du-  
cem Henricum Brunsuicensem duxiſſe exercitum  
ad N. urbem. Bene uale, & reſcribe. Quarto Maij.

J. Bobicher.

Cuidam amico.

Sæpe audiuiſti, gratitudinem eſſe uirtutē com-  
poſitam ex duabus p̄cipuis uirtutibus, ueritate  
& iuſticia. Veritas agnoscit & fatetur, unde fit  
acceptum beneficium: iuſticia reddit aliqua offi-  
cia. Qnōd igitur prædicas beneficia, quæ in te con-  
tulit Sabinus, uideo te amare & præſtare gratitu-  
dimem, quam uult Deus intelligi & coli, ut ipsius  
beneficia agnoscamus, & ipsum celebremus. Sabi-  
no ego tuo nomine h̄ic gratias egi, & tuas literas  
ipſi monstraui. Ei te charum eſſe, ex ipſo intellexi.  
Iſ tibi nulla in re defuturus erit. Vale, & reſcribe  
an has literas acceperis. Id officium pro meo offi-  
cio reddito. Patri tuo, uiro optimo, mitto pagellas,  
quas cures ipſi exhiberi. Die Marci.

Viro optimo, domino Iohanni Span-  
genbergio, amico ſuo,  
S. D.

Si Leonardus uester expectaſſet noſtrum redi-  
tum, & de ipſo & de negočio matrimoniali ei lite-  
ras dediſsem, Nam ipſi Leonardo opus eſt tua ad-  
monitione,